Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Ambrosii Calepini Dictionarivm Vndecim Lingvarvm

Calepino, Ambrogio

Basileae, 1616

I ante L

urn:nbn:de:bsz:31-107476

Visual Library

agrum, ad Propontidē pertinet: Occidentale, ad Helleſpontū recipit: Auſtrale promontoriū efficit, quod Lectum appellatur. Orientalia Idæ ad Myſos declinant. Abūdat mons aquis, & multa flumina emittit: in ejus ſummitate locus eſt, Gargarus appellatus, quæ & Gargara in plurali numero dicuntur, atq; adeò æquè pro monte atque oppido ſumptum quòd in dorſo montis eſt ſitū. Ovid. lib. 4. Faſt. Dindymon & Cybelen, & amœnā fontibus Idam. Ida item appellata eſt Dardani Scytharū regis filia. ❧ Eſt & Ida Cretæ mons, ita dictus à Corybantibus, ſive dactylis Idæis, qui quum in Cretam veniſſent, montem, in quo conſederunt, patrii montis nomine appellarunt. Virg. 12. Aen. Dictamnum genitrix Cretæa carpit ab Ida.

Idæus, a, um, ἰδαῖος, adjectivum. Propertius: Cedite jam divæ, quas paſtor viderat olim Idæis tunicam ponere verticibus.

Idæus, a, um, Poſſeſſivum ab Ida monte. Plin. lib. 16. Idicarum cedrorum. Veteres tamen Idicas pro montanis omnibus ſumunt, ut inquit Nicander.

Idæi Dactyli, δάκτυλοι ἰδαῖοι, Iidem qui Corybantes, quos Iovem aluiſſe ferunt: & ne vagitu puer proderetur, novo luſus genere excogitato, clypeolis æneis inter ſe concurſantes, æris tinnitu & numeroſi pedis cōpoſitione, qui dactylus inde dictus eſt, Saturnum celaviſſe. Dicti Idæi, ab Ida Phrygiæ mōte, quem primùm incoluerunt. ❧ Sunt & gemmæ quædam in Creta ferrei coloris, humani pollicis imaginē referētes, quos dactylos Idæos nominant. Vide Plin. lib. 37. cap. 10.

Idæus, ἰδαῖος, Rhodius poëta, ſcripſit Rhodiorum res geſtas verſibus ter mille Autor Suidas.

Idale, oppidum eſt in Troade, ut inquit Plinius. De hoc quoq; Luc. lib. 3:

> Myſiaq; & gelido tellus perfuſa Caico,
> Idalis & nimium glebis exilis Ariſbe.

Idalium, ἰδάλιον, Cypri oppidum, quod ab eventu nomen accepit. Nam quum oraculum Chalcenori datum eſſet, ut illic urbem conderet, ubi primum orientem Solem conſpiceretur, unus è comitibus qui fortè aſtabat, ad cū cōverſus, ἴδε ἥλιος, inquit, id eſt vide Solem. Arreptoq; Chalcenor omine, civitatem ſtatuit, & ab ea voce Idaliū nominavit Autor Stephanus.

Idalius, a, um, adjectivum, ἰδάλιος. Vnde Venus Idalia, & Idalium nemus eſt appellatum. Virg. li. 10. Aen. Eſt Amathus, eſt celſa mihi Paphos atq; Cythera, Idaliæq; domus, &c.

Idanthyrſus, Scytharū Rex, qui bello res magnas geſſit, bonaq; parte Aſiæ ſubjugata, uſq; in Aegyptū excurrit: ut autor eſt Strabo, lib. 14.

Idas, ἴδας, Apharei filius nomine, re autem ipſa Neptuni, qui acceptis à patre velociſſimis equis, Marpeſſam filiam formoſiſſimam Eveni regis Aetoliæ, Martis filii, in Dianę luco ſaltātem rapuit. Ob quam rem ejuſdem pater (qui nulli procorum filiam ſuam dare voluerat, niſi certamine curſus fuiſſet victus: à ſe autem victos decollare, eorumq; capita in aliorum terrorem de muris ædium ſuarum ſuſpendere conſueverat) dolore commotus interemptis, quos habebat equis, ſe in fluvium Lycormam, qui poſtea ab ipſo Evenus dictus eſt, pręcipitavit. Cæterùm fugienti cum puella Idæ Apollo in itinere obviam venit: qui quum Marpeſſam & ipſe præripere Idæ vellet, ventum utrinq; ad certamen eſt. Sed à Iove miſſus Mercurius arbitrium Marpeſſæ commiſit, ut ipſa utrum vellet eligeret: illa autem Idam elegit, verita ne ſeſe ætate provectam Apollo relinqueret. Homer. lib. 9. Iliad. Vide MARPESSA.

Idaſpes, Vide HYDASPES.

Idmon, is, pen. corr. ἴδμων, Vates inter Argonautas, Apollinis & Aſteriæ filius: ex Idmone autem & Theſtia, Theſtor: è Theſtore Chalcas item vates, ut placet Pherecydi: Apollonius autem poëta Idmonem Abantis filium eſſe dicit, & item Herodotus. Volaterranus.

Idomenæ, ἰδομεναί, Macedoniæ oppidum, apud Stephanum. Gentile, Idomenius, ἰδομένιος, vel Idomenienſis: quo utitur Plin. lib. 4. cap. 10.

Idomeneus per quatuor ſyllabas. [ἰδομενεύς. Ger. Ein Sohn Deucalionis und König in Creta ſo auch für Trojam gezogen iſt.] Deucalionis filius Cretenſiū rex, qui contra Trojanos ſtrenuè dimicavit. Troja autem everſa, quum in patriā renavigaret, ſubitò oborta tempeſtate, ſolenne votum concepit, ſi ſe Neptunus incolumē in patriam reduceret, ſe illi immolaturū quod primū ſibi occurreret. Contigit autem, ut filius ejus ei primus occurreret: quem quum immolare vellet, à ſuis pulſus, fugit in Calabriam: ubi juxta Salentinum promōtorium oppidum condidit. Hæc refert Servius in illud Virgil. 3. Aen. Et Salentinos obſedit milite campos Lyctius Idomeneus.

Idothea, εἰδοθέα, Nomen proprium filiæ Prœti Argivorum regis, apud Homer. 11. Odyſſ.

Idryeus ἰδριεύς, Hecatomni Cariæ regis filius, frater Mauſoli, qui Artemiſiæ ſorori in regnum ſucceſſit. Strab. lib. 14.

Idumæi, [אדומים adhomim ἰδουμαῖοι. Ger. Die Idumeer deren Landtſchafft zwiſchen dem Jüdiſchen Land und Arabien gelegē iſt.] Populi inter Iudæam & Arabiam ſiti, ad Occaſum Caſio monti proximi. Orti feruntur à Nabathæis, teſte Strabone lib. 6. qui orta domi ſeditione, relictis ſedibus ſuis, extrema Iudææ occuparunt. Horum regio Idumæa dicitur, ab Idume oppido: cujus meminit Lucanus lib. 3: Gazaq; & arbuſto palmarum dives Idume.

Idumæus, æa, um. [אדומי adhomi. ἰδουμαῖος.] Virgil. 3. Georg. Primus Idumæas referam tibi Mantua palmas.

Idya, dicta eſt à Cicerone mater Medeę, quam Ovidius Hypſeā vocat: Non erat Aeetes, ad quē deſpecta rediret, Non Hypſea parens, Chalciopeq; ſoror.

Idyma, ἴδυμα vel ἴδυμα, urbs Cariæ, ubi Idmus fluvius eſt, Stephanus.

Idyrus, urbs & fluvius Pamphyliæ, pro urbe, ἴδυρις, vel ἴδυρις, invenitur. Steph.

I ante E.

Iebus. [יבוס jebûs. ἰεβοῦς.] Civitas in finibus Iudææ, Iebuſæorū metropolis, qui ab ea nomen acceperunt.

Iena. Vrbs Thuringiæ Archigymnaſio celebris.

Ienyſus. ἰήνυσος, Oppidum in ora Syriæ, tridui itinere à Caſio monte diſtans, Herod. lib. 3.

Ieranympha, ab impetu ſic dicta: ἱερμαι enim impetum facio ſignificat.

Ierna, ἰέρνα, Artabrorū fluvius in Hiſpania, apud Melam, lib. 3. Strabo Iernam Artabrorum montem eſſe tradit: à quo veriſimile eſt ejuſdem nominis amnem profluere.

Ies, ietis, civitas eſt Achaiæ, in promontorio ejuſdem nominis, juxta quod Alpheus amnis præterfluēs, ſex millibus paſſuum navigatur. Tortellius.

Ieſus. [ישוע jeſchuah. ἰησοῦς.] Apud Græcos & Latinos dictio eſt triſyllaba. Hebræorum lingua *ſervatorem* ſignificat.

Ieterus. Mœſiæ fluvius, ex Rhodope profluens. Autor. Plin. li. 4. cap. 26.

I ante L.

Ilapinaſtes, εἰλαπιναστής, Cognomē Iovis apud Cyprios, inde ductū, quod magnifico apparatu, ſplēdidiſq; epulis, quas εἰλαπίνας vocāt Græci, coleretur. Vide Cœliū Rhod. lib. 27. cap. 25.

Ilaraugatæ, ἰλαραυγάται, Iberi, & Ilaraugates fluvius.

Ilaris, ἴλαρις urbs Lyciæ, Steph.

Ilattia ἰλαττία, urbs Cretæ, Steph.

Ilerda, dæ, ἰλέρδα, Oppidum citerioris Hiſpaniæ, in cōventu Tarraconenſi, nō procul à Sycori fluvio: cujus meminit Ptol. lib. 2. cap. 6.

Ilergetes. Hiſpaniæ populi, in tractu Tarraconenſi, nō procul ab Ibero amne. Autor Plin. lib. 3. cap 3.

Iliacus, Iliades, Vide ILIVM.

Ilia, liæ, ἰλία, quæ & Rhea, Numitoris Albanorum regis filia, quam Amulius pulſo jam Numitore fratre, & interfecto ejuſdem filio Lauſo, virginē Veſtalem fecit, ut illi habendę prolis occaſionē adimeret, & nequid ſupereſſet de prole Numitoris. Veruntamen Ilia, dum aquā pro ſacris quęreret, obdormivit, & in ſomnis illi viſum eſt ſe à Marte comprimi, & ſic geminos concepit: quos quū peperiſſet, Amulius partus exponi juſſit, matremq; Iliam vivā apud Tyberim fluviū infodit: unde poëtę eam Tyberi nupſiſſe fingunt: qui ob id quoq; uxorius amnis ab Horatio li. 1. Carm. dicitur. Quid verè pueris acciderit, vide ſuprà in dictione AMVLIVS. Virg. lib. 1. Aen. donec regina ſacerdos Marte gravis geminā partu dabit Ilia prolem.

Iliberis, Vide ILLIBERIS.

Ilienſes, ἰλιεῖς, Populi ſunt Corſicæ inſulæ antiquiſſimi, ut ſcribit Pomponius lib. 2. Horum meminit & Pauſanias.

Ilione, ἰλιόνη, inter filias Priami natu maxima fuit. Virgil. lib. 1. Aen. Præterea ſceptrum, Ilione quod geſſerat olim, Maxima natarum Priami.

Ilioneus, ἰλιονεύς, Nomen proprium viri Trojani, Phorbantis filii, qui qualis in bello fuerit, nuſquam legitur: eloquentia verò excelluiſſe, deletoq; Ilio cum Aenea fugiſſe, & apud eundē legati vice functum, autor eſt Virg. 1. Aeneid. Poſtquā introgreſſi, & coràm data copia fandi, Maximus Ilioneus placido ſic pectore cœpit. Vbi Servius: Non mirum, *inquit*, ſi eloquens à Virgilio introducatur Ilioneus, quū pater ejus Phorbas, Homero teſte, ſemper Mercurio deo eloquētię favente pugnarit.

Iliſſus, ἰλισσός, Nomen amnis in Attica regione, Muſis dicati, quas ab eo Iliſſidas vocant. Vide Strab. lib. 9. Papinianus li. 4. Theb. videtur hunc fluvium Furiis conſecrare, quum ait: -anfractu riparum incurvus Iliſſos, Sævus honos fluvio: Stygias luſtrare ſeveris Eumenidas perhibetur aquis.

Ilithyia, dictio quatuor ſyllabarum, & pen. prod. [εἰλείθυια. Ger. Die Göttin Juno / ſo gehalten ward daß ſie den gebärenden behülfflich wäre.] Dea parturientibus propitia, quæ & Iuno Lucina à Latinis appellatur. Ovid 9. Metam. Præpoſitam timidis parientibus Ilithyiam.

Ilium, ἴλιον, Vrbs fuit Phrygiæ, ſive Troadis, M.D. paſſus à mari diſtans, à Dardano Iovis filio condita: ab Ilo verò rege am-

pliata, & Ilium nominata, quum antea Troja à regione illa in qua ſita fuit, diceretur. Regia fuit Priami: poſtea verò ob Helenam à Paride raptã decennali bello obſeſſa, ac demũ expugnata eſt. [Ger. Ein gewaltige Statt in Troade/ſo man gemeinlich Troiã nennet/welche die Griechen zerſtört haben.] Virg. li. 2. Aen. -ceciditq; ſuperbũ Ilium, & omnis humo fumat Neptunia Troja. ¶ Dicta eſt etiam Ilios Ovid. lib. 14. Metam. -poſtquã alta cremata eſt Ilios & Danaas paverunt Pergama flammas. Horat. nõ ſemel Ilios Vexata. ¶ Ilium propriè civitas eſt: nã regio Troja eſt: quamvis interdum pro urbe, Trojam uſurpet Virgilius, ut lib. 3. Aeneid. Et campos ubi Troja fuit.

Iliăcus, a, um, pen. corr. Ἰλιακός, Poſſeſſivum deductum ab Ilio, agri Trojani urbe. Virg. 1. Aen. Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros. ¶ Iliacus morbus à Plauto vocatur, qui infeſtat ilia: ſed hoc ut pleraq; alia apud Plautum crediderim eſſe fictitium, ut ambiguitate vocis riſum captaret.

Ilius, a, um, Idem. Virg. 9. Aeneid. -quam miſeram tenuit non Ilia tellus.

Iliădæ, Ἰλιάδαι, Trojani, Iliades, Trojanæ. Virg. 3. Aen. Et circũ Iliades crinem de more ſolutæ.

Ilias. Vide in APPELL.

Illibĕris, Ἰλλίβερις, Oppidum in finibus Galliæ Narbonenſis, juxta Pyrenæos montes, nõ procul à Ruſcinone, ejuſdem nominis fluvio irrigatum, teſte Strab. lib. 4. Plin. in deſcriptione Galliæ Narbonenſis Illiberim ſua ætate exiguũ oppidulũ fuiſſe indicat, & (ut ipſius verbis utar) magnæ quondam urbis tenue veſtigiũ. Forte *Salſas*. ¶ Ptolem. lib. 2. cap. 6. Illiberim alteram collocat in Bætica Hiſpaniæ regione, quam nonnulli eandem eſſe exiſtimant, quam hodie *Granatam* appellant.

Illipa, Ἰλίπα, Cognomento magna civitas Turdetanorum in tractu Hiſpaniæ Bæticæ, apud Ptolemæum lib. 2. cap. 5. & Plin. lib. 3. cap. 1.

Illipula, Ἰλίπουλα, quæ & Illipa minor, Civitas Turdetanorum in ea parte Hiſpaniæ Bæticæ, quæ Luſitaniæ proxima eſt. Ptolemæus lib. 2. cap. 5. & Plin. lib. 3. cap. 1.

Illuro. Oppidum civium Romanorum in ea parte Tarraconẽſis Hiſpaniæ, quæ Pyrenæis montibus proxima eſt. Autores Plin. lib. 3. cap. 3. & Pomponius Mela lib. 1.

Illurco, Ἰλούρκων Ptolemæo, Hiſpaniæ Bæticæ oppidũ eſt apud Plin. lib. 3. cap. 1.

Illyris, ĭdis, [Ἰλλυρίς. Ger. Das Windiſchland/begreifft die Dalmatia und Sclavon. Vn. Tót Orſzág.] ſive Illyrium, ii, ſive Illyricum, ci, regio Europæ ſatis ampla, ſecundùm dextrum maris Adriatici latus extenſa, à cæteris partis Iſtria, Myſia ſuperiori, & Macedoniæ parte quæ Adriatico mari incubit terminata. Dicta ab Illyrio Polyphemi (ut Appianus ſcribit) ſive (ut Euſtathio placet) Cadmi filio. Vrbes habet Iaderã, Epidamnũ, poſtea Dirrachium, hodie *Rhaguſiam* dictam, Salonam, & alias quamplurimas. Vulgò *Sclavonia*.

Illyrĭcus, ca, cum, [Ἰλλυρικός. Vn. Tóthoz való tótó.] Virg. 1. Aeneid. Antenor potuit mediis elapſus Achivis, Illyricos penetrare ſinus.

Ilua. Αἰθαλία Ptolemæo, Inſula Hetruriæ adjacens, decem paſſuũ millibus diſtans à Populonia, renaſcentis ferri metallis uberrima. Virg. 10. Aen. -aſt Ilua trecentos Inſula inexhauſtis Chalybum generoſa metallis.

Ilurcis. Ἰλουρκίς, Vrbs fuit Vaſconum in citeriori Hiſpania, poſtea à Sempronio Graccho, Gracchuris dicta.

Ilus, li, Ἶλος, Filius Trois regis Trojanorum, & pater Laomedontis, quem matura ætate moriens, regni hæredem reliquit. Ab hujus nomine celeberrimũ illud Myſiæ minoris, ſive Troadis caput Ilii nomen accepit: ſive quòd ab illo primùm fuerit conditum quum Dardanus antea in montibus Dardaniam condidiſſet, ut placet Homer. lib. 13. Iliad. ſive quòd à Dardano primùm conditum inſtauravit Ilus, & auctius reddiderit: quẽadmodũ nõ obſcurè ſignificat Virg. lib. 8. Aen. Dardanus Iliacæ primus pater urbis, & autor. Autor Strabo lib. 13. primũ omniũ Ilũ auſum fuiſſe in campis habitare, proindeq; in mediis campis fuiſſe ſepultum, cujus ſepulchri meminit & Homerus 11. Iliad. ¶ Fuit & alter Ilus, Aeneæ filius, alio nomine Aſcanius appellatus. Virg. 1. Aen. At puer Aſcanius, cui nunc cognomen Iulo Additur, Ilus erat dum res ſtetit Ilia regno.

I ante M.

Imacarenſes, Ἰμακαρηνοί, Populi Siciliæ ſtipendiarii, in mediterraneis inſulæ ſiti: quorum meminit Plin. lib. 3. cap. 8.

Imaduchi, Ἰμάδουχοι, Scythiæ populi, Caucaſi montis juga accolentes. Plin. lib. 6. cap. 7.

Imantopodes, pen. corr. ἱμαντόποδες, Populi in Aethiopia loripedes, quibus ſerpendo ingredi natura eſt: hoc eſt, ut Solinus interpretatur, qui flexis crurum nexibus ingrediuntur. ἱμάντα enim Græci lorũ dicũt. De his Plin. lib. 5. cap. 8. ¶ Sunt & aves quædam imantopodes dictæ ex argumento pedum, quaſi loripedes, quod habent crura prææalta. Plin. lib. 10. cap. 47: Laudatiſſimi porphyriones in Comagene: roſtra iis, & prælonga crura rubent. Hæc quidem & imantopodi, multò minori: quanquam eadem crurum altitudine. Naſcitur in Aegypto: inſiſtit ternis digitis. Quo tamen in loco Plinii, quidam hæmatopodi legere malunt, ut potiùs à ſanguineo crurum colore, quàm ab eorundem longitudine dicta ſit. Vide ſuprà HAEMATOPODES.

Imaus, pen. prod. [Ἴμαος. Ger. Ein vernampt Gebirg in Scythia/ reichet biß in Indiam.] Caucaſi montis pars, Indiam à Scythia dirimens, Scythiamq; ipſam in duas ſecãs partes, quarum altera, Scythia intra Imaum: altera, Scythia extra Imaum appellatur. Vide Plin. lib. 6. cap. 17. & Ptolemæum Aſiæ Tabula 9.

Imbaros, Ἴμβαρος, Sami inſulæ fluvius eſt apud Plin. lib. 5. cap. 27.

Imbraſus, Ἴμβρασος, Sami inſulæ fluvius eſt, apud Plin. lib. 5. cap. 31.

Imbreus, per duas ſyllabas, Nomẽ unius ex Centauris, apud Ovid. lib. 12. Metam. At non Eurynomus, Lycidasq;, & Areus, & Imbreus, Effugêre necem.

Imbrus, Ἴμβρος, Inſula Thraciæ adjacẽs, Mercurio ſacra, cum oppido ejuſdem nominis. Vide Plin. lib. 4. cap. 12.

Imola, æ, Vrbs eſt Italiæ, in via Aemylia, quæ Forum Cornelii vocatur à Ptolem. lib. 3. cap. 1.

I ante N.

Inachia, [Ἰναχία. Ger. Die landtſchafft in Griechenlandt ſo gegen Mittag ſchier allenthalben wie ein Inſel mit dem Meer umbgeben iſt/ und jetz *Morea* heißt.] Peninſula eſt Europæ totius clariſſima, quam *Peloponneſum* vocamus. ¶ Eſt & Inachia nomen puellæ ab Horatio adamatæ, cujus meminit Epod. 11: Hic tertius December, ex quo deſtiti Inachia furere.

Inachium, Ἰνάχιον, Peloponneſi oppidum, inter Syllæum promontorium, & Iſthmum ſitum: alio nomine Argos Dipſium appellatum. Plin. lib. 4. cap. 5.

Inachus, pen. corr. Ἴναχος, Strab. lib. 8: Fluvius Inachus labitur inter ſaxoſas convalles, qui oritur ex Lyrceo ad Cynuriã montem Arcadiæ. Hunc poëtæ fabulantur Ius patrẽ fuiſſe: quã quũ Iupiter vitiaſſet, adventum Iunonis præſentiens, in vaccam mutavit. Ovid. lib. 1. Metamorph. Inachus unus abeſt, imoq; reconditus antro Fletibus auget aquas, natamq; miſerrimus Io Luget. &c. ¶ Fuit & Inachus primus Argivorum rex, qui Inacho fluvio nomen dedit: à quo Argivi ipſi, Inachidæ appellati ſunt. Hujus filia creditur fuiſſe Io: quam quum Iupiter vitiaſſet, & in Cretam advexiſſet, Iuno pellicis impatiens, graviſſimis odiis eam exagitavit. Quæ res Poëtis occaſionem fabulandi dedit, Io Inachi fluvii filiã, fuiſſe Iunonis metu à Iove in vaccam mutatam: quam quum illa à conjuge donoacce piſſet, œſtro immiſſo tantopere fuiſſe exagitatam, ut furore correpta nuſquam conſiſtere poſſet, donec in Aegyptũ tranſvecta, in Iſidẽ deã mutata eſt. Hujus meminit Horat. 2. Carm. Ode 3: Divéſne priſco natus ab Inacho Nil intereſt, an pauper.

Inachius, a, um, adjectivum. Virgil. lib. 2. Georg. Inachiæ luna peſtem meditata juvencæ.

Inachis, Ἰναχίς, patronymicum fœmininum eſt ab Inacho deductum: quod à Poëtis accipitur pro Io, Inachi filia, quam Iupiter metu uxoris in vaccam dicitur transformaſſe. Ovid. lib. 1. Metam. Conjugis adventum præſenſerat, inq; nitentem Inachidos vultus mutaverat ille juvencam.

Inalpini, Dicuntur qui Alpes incolunt. Plin. lib. 3. cap. 3: Alpes populiq; Inalpini variis nominibus, ſed maximè capillati.

Inarime, [Ἄριμοι Homero, Πιθηκοῦσαι Stephano. Ger. Ein Inſel nicht ferr von Neaples gelegen.] Inſula eſt in ſinu Puteolano, nõ procul à Neapoli, ut ait Plin. lib. 3. cap. 6. In qua mons fuit qui terræmotum paſſus, alteram fudit inſulam, quæ Prochyta ab effuſione dicta eſt. Sub hanc quoq; inſulam Typhœa gigantem à Iove detruſum, Virgilius his verſibus declarat: Tum ſonitu Prochyta alta tremit, durumq; cubile Inarime, Iovis imperiis impoſita Typhœo. Eadem & Aenearia, à ſtatione navium Aeneæ: & à coxendicis forma, Iſchia dicitur. Ab Homero in Catalogo inſula hæc Ἄριμοι appellatur. Primus Virgilius quum illud Homeri εἰν Ἀρίμοις trãsferret, ex εἰν, Ionum præpoſitione, & Ἀρίμοις, unam dictionem conflavit, numero & declinatione mutatis. Inarime verò ab Arimis, ſive popolis, ſive beluis, ita priſca Hetruſcorum lingua ſimias dictante, quas Græci πιθήκους vocant: unde nomen inſulis Pithecuſis, ut Xenaboni placet, ex hiſtoria fabuloſa, quam Harpocration, Xenagoras, & Suidas ita referunt: Fratres (aiunt) duo fuerunt Candulus & Atlas, omnium ſceleſtiſſimi, quibus humana vita damnata eſt, autores & inventores. Quibus morum perverſitas, Cercopum nomen dedit. Impoſtores enim ac planos, quales hi præcipui fuêre, ita Græci vocant, ab animalibus quæ σείουσι id eſt: caudæ motu blandiuntur. In ſummam illi ducium fuit, appulſos & advenas dolis quibuſcunq; circumvenire. Quod quum in ipſum etiam Iovem tentaſſent, ab eo ex hominibus in ſimias mutati ſunt, quas Græci πιθήκους vocant. Vnde inſulis quas tenebãt, Pithecuſæ vocabulum datum. Hinc Ovidius

Xenagoram